

in quantum ei convenit descriptio Aristotelica Lib. I. Top. cap. m. II.  
 al. q. tradita, quod sit quæstio speculatione aut ad expetendum & fu-  
 giendum, aut ad veritatem cognitionemque pertinens, idque  
 vel per se, vel via adjumentum afferat ad aliquid aliud, quod ho-  
 rum altero genere continetur: de qua aut neutrā in partem, aut  
 contra plerique ac sapientes sentiunt, aut sapientes contra ac plerique,  
 aut utriusque ipsi secum discordant. Adebat enim hic quæstio specula-  
 tione ad veritatem cognitionemque pertinens, ut non primariò per  
 se aut propter se, tamen quia adjumentum afferat ad hominis regenitū  
 & irregenitū īdolem atque conditionem cognoscendam: de qua Vir  
 qvidam, quem debita sapientiæ laude ceteroquin non defraudabimus,  
 contra ac plerique, ne dicam omnes, sentit. Et ita satis putamus su-  
 perque explicatum, quoniam in sensu Problema proponere placuerit,  
 quod, uti ratione subjecti Theologicum; ita ratione prædicati Prole-  
 mā Ejusdem & Diversi est, quo nempe quæritur: An quædam hoc vel  
 isto modo idem sint, an diversa? Quærit namque nostrum Problema:  
 An regenitus & irregenitus homo specie idem sint, an vero specie  
 differant?

§. VII. Ecquid vero opus est, oggerentem Te audire mihi  
 videor, de eo prolixè disputare? Quod si enim pro problematica hæc  
 materia agnoscitur, Problemata autem quæstiones sunt, quas in  
 utramq; partem disputare licet: Cur non sua cuiq; sententia libera relin-  
 quitur? Frustraneus itaque, vel saltem supervacaneus labor erit omnis,  
 qui in alterius sententia destruenda, eique contraria adstruenda insu-  
 metur. At vero, primùm quidem in genere notandum ducimus, in  
 ejusmodi exercitiis Academicis, quale hoc nostrum est, quod molim-  
 mur, vel solius ingenii exercendi proximam haberi rationem posse, et  
 iam si nulla alia in alios inde redunderet immediate utilitas, saltem ut  
 animi sui dotes in eo occupatus exploret, quousque se extendant expe-  
 turus, ne supra vires olim nitatur. Ad ingenii namque sui culturam  
 quoslibet obligari, probantibus id Juris Naturalis Doctoribus, è quib-  
 us videri potest PUFENDORFFIUS, Lib. II. de Jure Nat.  
 & Gentium, Cap. IV. §. 2. seqv. in dubium minime vocabitur:  
 ad illam autem meditationibus variis crebroque exercitio o-  
 pus esse, per ipsam experientiam edocemur omnes. Jam qui ad